

Joachim Lindemann Gottfried Strahlborn

Disputatio Philosophica De Praejudiciis

Rostochii: Weplingius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732448255>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 2687

15

37.
14

Q. D. B. V.
 DISPUTATIO PHILOSOPHICA
 DE
PRÆJUDICIIS,

Quam
 Consentiente Amplissimo Philosophorum Ordine
 In

Inclyta ad Varnum
 PRÆSIDE

M. JOACHIMO LIN-
DEMANNO, Rost.
 RESPONDENS

GODOFREDUS *Strahlborn*
 GEDANENS.

Citra Præjudicium disputandam,
 Exhibet,

Die IX. APRILIS ANNO MDC LXXXVII.
 H. L. Q. C.

*Ita comparata est natura omnium hominum,
 ut aliena magis judicent quàm sua.*



ROSTOCHII,

TPIS JOHANNIS WEPPLINGII, UNIV. TYPOGR



ΤΩ
ΒΑΣΙΛΕΙ ΤΩΝ ΑΙΩΝΩΝ
ΑΦΘΑΡΤΩ ΑΟΡΑΤΩ
ΜΟΝΩ ΣΟΦΩ
ΘΕΩ



Σ. Θ.

Προούλιον.

*Felices animas! quæis id cognoscere tandem,
Et Præjudicium linquere cura fuit.*



Sæpius admiratione perculsus est animus cogitantis consuetudines *Græcorum*, quibus *Anacharsis*, non sine sale, objiciebat: *Artifices quidem apud Græcos certare, sed de iis judicare artis expertes.* (α) Displicere fateor semper *Eruditorum* certamina, apud *Romanos* (β) in *Orchestra* instituta, videbantur enim *judicium de Phœbi plectro, æstivis auribus Mida committere*. Eadem sæpius mutatis personis agitur fabula, multi adhuc sunt etiam hodiè, qui cum *Minnacho* fabro ultra *malleum* loquuntur. Fallor, aut illud verum est quod *Cicero* ad *Lentulum* scribit: *Res agitur prætextibus, addo & præjudiciis.* Peregrinanti nuper occurrebat notabile *Lemma*: *Omnes natura judices fecit, artificem nullum.* Veritatem hujus dicti luculentissime percepi, cum *Præjudiciorum* naturam inquirerem. Arbitrabar ignobile *Vulgus* regi *Præjudiciis*, sed *Literatos* iis maxime laborare perspexi, qui sæpius sententiæ si non falsa, certè dubiæ, mordicus adherent, veluti *Bononienses Caroccio*. (γ) Cæterum cum crederem me potius obligari officio oculato, quàm cæca obedientiâ, ad scribendum animum adjeci. Libro homini liberam *Philosophiam* amare fas sit: *judicium* non subterfugio, dummodo sit sine *Præjudicio*. *Thebani* (δ) *Judicium* *imagines sine manibus, Principis sine oculis in foro proposuere*, ostensuri, *Judices* nullis *Præjudiciis* aliquid debere concedere. Non sperabam

A

Disse

Dissertationem nostram coram *Arcopago* sistendam esse, alias nullo præloquio usus forem, à præcone monitus. Neminem tamen judicaturum antequam legat confido, nam *non auditum hominem damnare nefas ultimum est.* (ε) Instituti mei ratio in hoc consistit, ut ostendam, dari præjudicia, quæ Philosopho vitanda sint. Horum naturam, brevibus pagellis comprehensam, nostra Disputatio exhibet, quam non spero tam infelici sydere natam, ut parum æquos Censores inveniat. Sed, cum sæpè optimè cogitata pessime cadant, *nostrum est, mundum qualis qualis sit, ferre, qui instar nocturnarum tantò cæcutit profundius, quanto lumine circumfunditus copiosus.* (ζ) Speramus meliora! Nunc canit plenis buccinis Minerva bellicosum Orrion; & nos instituti nostri admonet. Tuo sub Auspicio, Tuo sub ductu *Clementissime Deus!* laboris facio initium, largire mihi hanc gratiam, ut mente à Præjudiciorum nebulis liberata, pura luce frui contingat. Ad sis mihi Tua Gratia, ita absq; præjudicio philosophabor.

(α) *Testante Laertio lib. 1. c. 6. (β) vid. Sueton. in Vit. Neronis qui in Theatri cavea Poëtas concertantes audivit, adde Lips. de magnitud. Rom. (γ) Campana Castrensis erat citan: Hieron, Magio quam deseruisse Militare de decus habebatur. vid. Tractat. de Tintin. (δ) Alexander ab Alex: General. dier: lib. 3. C. 5. p. m. 223. (ε) Amm. Marcell. lib. 15. (ζ) Utimur verbis Schuppilii, Diss. de Opinione, ex Avell. Marpurg. scripta.*

§. I. Qvisplendidum Palatium curiosis lustrant oculis, spatiofis in porticibus aliquantisper commorari solent, antequam domus *Pentralia & Lararia* pateant. Idem nobis usu venit, qui ut commodius ad Caput rei deveniamus, digredimur aliquantulum ad naturam mentis atque iudicii, ut hoc modo Præjudiciorum naturam melius percipiamus. Contemplanti mihi hominem ceu *suppositum ex mente & corpore humano legitime unitis* constans, (a) in ipsa mente consideranda sese offerunt, *intellectus & voluntas*. Neutiquam metuentum erit, cum hæ facultates animæ inter se distinctæ sint, ne *contra naturam mentis compositio* introducatur, nam in *toto potestativo*, quale mense est, potentiæ nullam compositionem inferunt, uti nec in *toto perfectionali*, diversæ perfectiones arguunt compositionem. Hoc ex *Metaphysicis* abunde notum esse existimo. De Numero *facultat-*

cultarum anima non operose sollicitus ero, (b) mihi certum est, à du-
plici cogitandi modopendere hanc differentiam. Res enim omnes,
quoad naturam eorum, vel cognosco, vel appeto, i. e. intelligo &
volo. De voluntate jam non agimus, despiciamus quæso, an ergo
mens nil erit nisi mera cogitatio? Ita quidem videtur Cartesio (c) &
Potresio, sed perperam. Cogitationes ex mente Cartesii (d) sunt o-
mnia quæ nobis conscia in nobis sunt, quar. eorum in nobis conscientia est.
Sed quomodo id potest esse ipsa essentia, quod est de essentia, cogi-
tatio quidem est de essentia mentis, largior, neutiquam verò ipsa es-
sentia. Adde, quod hæc descriptio atq; opinio multum pariat in-
commodi, uti fuse deduxit celeberrimus Professor Ulerajætinus (e) Si ac-
curatius loqui velimus, cogitatio dicenda est perceptio mentis humane
ad rem determinata, (f) in mera ergo cogitatione mentis natura non
consistit. Circumspiciamus jam formalem rationem intellectus, quam
varie à variis positam deprehendo. Subtilis Scaliger (g) vocat termin-
nis philosophicis, apprehensionem ensis, ut est, unum, verum, bonum.
Postea clarioribus verbis, est inquit ipsa essentia anima ut apprehendit.
Superficialiter, describitur (h) potentia cognoscens intelligibilia, cur
relingitur illa ad rem vana quis enim incognoscibilia cognosce-
ret? Melius definitur: Potentia anima rationalis, per quam intelligimus,
apprehendimus, & judicamus. (i) Medico cuidam, non adeo inconvenien-
ter, intellectus dicitur judicium, quo mens rerum naturas perpendit ac diju-
dicat (k) Sed hoc modo intellectus cum judicio confunditur. Non
nullis (l) placuit vocare intellectum, potentiam aestimativam, vocabu-
lo non prorsus inconvenienti, quod v. brutis illam tribuant, in hoc
hallucinantur (m) Clarissime & optime definitur Intellectus: facult-
tas cognoscendi rem in sua natura (n) Synonymum intellectus est Ra-
tio, quæ semper bona est, sed quoad applicationem principiorum
corrupta. Rationis s. intellectus, in operatione constituti, munus
est ratiocinari. i. e. rationes rei cognitæ applicare. Describit inge-
niosus Gallus illam ita, quod sit ignota rei cognitio, cum rebus notis eam
comparando, acquiritur: (o) Ratiocinationis partus est ratiocinium
vel judicium intellectus de aliqua re (p) Dum enim rem consideramus,
judicamus illam ad aliam pertinere vel non pertinere, sic ratiocina-
mur, & emergit judicium quod consistit in additione vel subtractio-

ne conceptuum & claris verbis describitur, quod sit rei applicata conclusio. Quoties ergo rem aliquam percipimus, toties intelligimus quoties judicamus, toties ratiocinamur, quoties ratiocinia applicamus toties iudicium ferimus. (q) Jam itaque vidēs L.B. in quem finem hæc sint præmissa, ita quippe statum controversiæ in tantum limitandum arbitraber, ne de præjudiciis disputaturus, opus haberes quærere, quid sit iudicium, cuius defectus in Præiudicio deprehenditur. Habes insuper in hac doctrina velut in tabula, operationes intellectus humani, ad spectu pariter jucundo atq; utili, ut melius intelligas aberrationes ac divagationes mentis, quæ præiudicium in nobis generant.

- (a) *Duas partes hominis essentielles statuo, non a. tres uti Amos Commenius citatus à Martin Schoock. in phys: gen:*
(b) *Possidonius. XII. Chrysippus VIII. Zeno III. Aristoteles II. nominant facultates, an possit numerus perfectior ex Deut. 6. v. 5. l. Matth. 22. v. 37. colligi, iudicium sit penes alios.*
(c) *In princip. ph. part. 1. p. 3. §. 8. & Poiresius cogit. ration lib. 3. c. 3. §. 3. idem de Deo affirmare non dubitat. (d) l. c. §. 9. (e) put. Job: Gerh. de Vries in exerc. ration. diss. de cogitat: ipsa mente p. 1. (f) vid. Diss. M. Hagendorn de Cogit. hic habitam, Ao. 1681. (g) exercit. 307. n. 15. p. m. 904. (h) in Lex: Philoph. p. m. 629. (i) vid. Lütkemanni diss. d. animæ ration. hic habitata. 46. (k) Henrico Regio in fund. Phys. C. 12. p. m. 286. (l) nonnullis Burgerisd. Coll: Phys. diss. 27. p. m. 296. & Arnol: Sengu. in Introd. ad phys. C. 5. l. 6 p. m. 481 (m) Assertum Sengu: l. c. verba: æstimatoriam id esse in brutis, quod in homine ratio est (n) vid. Becmann. in parall. politicis differ. 2. (o) de Chifflet in specim: artis ration. naturalis & artificialis Artic. 1. §. 8. p. m. 59. (p) Juxta Becm. Moral. c. 2. §. 3. p. m. 42. (q) confer. Cumberland. contra Hobbium c. 2. p. m. 72. qui prolixus est in hac materia. Sennertus in scient. natural. l. 8. C. 1. p. m. 656. facultatem iudicandi omittit.*

§. 2. De præiudiciis acturi sumus, sed si quid me recti Philosophia docuit

docuit terminus primū ab omni æquivocatione liberandus est. Terminū Præjudicii mutuo accepimus ex foro juridico, in quo Jctis dicitur *judicium, actus justitia distributiva, seu causa cognitio*. Atq; in hoc sensu præjudiciū idē est quod *ἐπιπίσις* l. *ἐπιπίσις*, i.e. *sententia judicis in simili causa lata*, quæ vim præjudicandi habet, ob easdem circumstantias recurrentes. Talis ergo sententia judicis, dicitur *in rem judicatam* lata, & habet vim decidendi ex hoc capite, (r) quia ulterior probatio non præsumitur posse produci. Cū enim omnis probatio instituat, ut judicem informet de re gestā, cognitio circumstantiis in altera causa, quæ similis erat, probationibus amplius opus non est. Cautionem tamen necessariam esse nemo negabit, nam si fallit vel una circumstantia, cadit etiam similitas causæ(s) atq; ex hoc fundamento judici non semper *secundum legi literam*, vel *secundum acta* judicandum putant in processu Criminali, nam attendenda est *æquitas* (t) imò *ipsa conscientia*, quā urgente judex inferior contra acta & probata agere, superior circa legem propriam dispensare potest, nam *voluntas legislatoris est Legis litera superior*. Hæc præjudicia non sunt nostri fori, uti nec *præjudicia Medica*, quæ sunt *experimenta*, ut *Verulamii* verbis utar, *lucifera, quæ per experientiam in Regulam degenerant*. Horū ingens copia est, ut numerum excedat, eventu rarò felici, nam plerumq; à *particulari ad universale concludunt*. Hinc passim alter alterum notat. (u) *Nec Præjudicia Theologica* spectant ad præsens Institutum, quæ mihi tangere Religio est, dari tamen illa & diffidiorū causas esse neutiquam dubitamus, quando ea propter studia in contraria ferimur. (vv) Nos vocabulo Præjudicii in *sensu Philosophico* utimur describentes illud quod sit: *Imperfectum judicium intellectus à præconcepta opinione ortum, & fortiter in mente radicatum. Vel brevibus: est opinione præconcepta præoccupata ratiocinatio. Conceptus contrahibilis loco positum est judicium imperfectum, quod prædicatur de pluribus v. gr. opinione, dubitatione, hæsitatione &c. intellectus, uti brevi visuri sumus. Dicitur imperfectum non ratione essendi, nam eadem vis inest intellectui bene quam malè judicanti, sed imperfectio accedit quoad *causa cognitionem, & connexionem ratiocinii*. Aliàs ex veris præmissis, legitime cognitio & debito modo collocatis, semper inferitur vera Conclusio. Conceptus*

contrahens differentialis desumitur, partim à causa partim à modo
 inherendi. Præconcepta opinio est, quæ libertatem iudicii impe-
 dit, quia mentis nostræ assensum ad se trahit, qui aliàs indifferens e-
 rat, ad utramque præmissarum amplectendam. Opinionum vim
 nemo in dubium vocabit, cui Aphorismus notus est: *Mundus regitur
 opinionibus* (x) Nihil magis eruditioni solidæ obstat quàm opinio.
 (y) Adjuncta præjudicii sunt, fortiter esse radicatam in mente,
 quod ex sequenti causa accidit. Nam si præjudicia sint *innata*, talis
 eorum vis est, qualis imaginationis, ipseque intellectus hunc suum
 partem omni studio fovet, cumq; *error semper fecundus sit*, generantur
 ex uno præjudicio longe plurima. Si a. sint *acquisita*, erunt
sensualia, per *acusticum* a. *opticum* nervum cerebro impressa (z) tum
 idea illorum vivacissimè expressa, facillimè conservatur. Et uti
 vi imaginationis has ideas Mater fœtui imprimit, ita mens omnibus
 actionibus suis Præjudicium quasi congenerat, ut in iudicando am-
 plius liberum non sit. *Adjuncta propria* adjecimus, propter quæ
 præjudicium differt ab *Opinione*, sive enim illa describatur, *assen-
 sus ex argumento probabili in iis rebus, quæ aliter esse possunt.* (α) sive
 dicatur *iudicium imperfectum intellectus cum formidine oppositi* (β) Præ-
 judicium citra formidinem fovetur. Discrimen quoque intercedit
 inter *præjudicium & dubitationem*, quia illa est *iudicium suspensum*,
 hoc in assensu plus iusto tenacius. Discrimen videmus *Præjudicii
 & iudicii solidi*, posterius materiam iudicandam ita in conspectu suo
 ponit, *ut mentis aciem nibileffugiat, & eadem intentione mentis pera-
 gitur*, (γ) sed omnia hæc non attendit accurate præjudicium, præ-
 concepta opinione fascinatam. Nec dubito, quin differentia in-
 tercedat inter *præjudicium & minus claras perceptiones intellectus*,
 quibus qui occupantur hærentibus & dormitantibus assimilantur.
 Etenim dum *ulterius progredi non possumus cogitando*, dicimur
harere, ubi a. inter agendum levis error committitur, *dormitasse* di-
 cimus. Qui autem Præjudicio ligatus est, ex pravo habitu, cujus
 fundamentum vel in una actione consistit, semper præpostere ju-
 dicat. Interim largior aliquando hominem etiam in præjudicando
 harere & dormire posse. (δ)

(r) *Vid. Becman: in Medit: Polit: Disp. 14. de iudiciis p. m. 283.*

(s) ex-

(s) *exempla sunt in decisionibus Mevii it: Carpæ: jurispr. forens: Et B. Avi mei Jcti consiliorum voluminibus M. S. S.*
 (t) *quam Hornius definit l. 3. Moralium C. 4. p. m. 621. Correctionem juris scripti judici relictam, in casibus ubi Lex deficit (u) Mibi monstrasse satis est: vid. Carol: Drelincourt: Prof. Lugd. Adversaria, in quo tractatu de una materia producit præjudicia Medicorum Harvei, Everhardi, Ferneli, Riolani, Whartoni, Bartholini &c. (w) confer: Voet, d. Præjudiciis, relig. Diss. selectarum p. 2. p. m. 539. Leidekerus quoque in Mystero pietatis Mystero inquitatis opposito, Pontificios plurimis præjudiciis gravat, speciatim in exercit. de scepticis, pontif. (x) jucundissima lege in Schuppii Oratione de Opinione (y) verba Clarissimi Lipsii in Satyr: Menipp. Tom. Oper: p. 715. (z) Leg. plur. de ideis impressis in Cartesii tractatu de Hom: (a) Micr. el: Lex. Philos. p. m. 929. (b) Becman. Moral. C. 4. (y) ita describit Kenelm. Digbaeus lib. de Anima tract: 2. c. 2. n. 9. p. m. 485: (d) confer. diss. Rev. DN. LICENT. Seligmanni de Hes. & Dub. A. 1684. hab.*

§. 3. Ad differentias Præjudiciorum accedimus, excutiendæ sunt Saturninæ lemæ eorum oculis, qui Epimenidis somnum dudum dormiunt. Sed proh! tot offerunt sese præjudiciorum turmæ, ut oppidò verear, ne hominem solitarium infestis unguis obtendant. Audio homines *Dodoneo are loquaciores* philautia sua dudum beatos, obvertunt sese mihi tot barbari Philosophi, lapsus sum, barbato dicere volebam, ut ferme cepto desistam. Sed agedum, *audemus vana contemneres*. (e) Ulti affectus & animi pathemata ad bonum & malum indifferentia sunt in sua natura, ita quoque præjudicia. Opinio enim qua intellectus occupatur indifferens esse potest, ad bonum & malum. Ob hanc causam ex præjudicio, malum bonum, bonum malum sæpius pronunciamus. Interim tamen *ratione finis* Præjudiciū bonum vel malum dici potest, quat. ad finem talem dirigitur v. gr. Cum *Alexander* Macedonas inveteratæ virtutis, *Darius* suos Terrarum Domini admonet, cum *Cæsar* ad *Mundam* idem agit, omnes hi volunt mili-

militem ex Præjudicio judicare, sed bono, ut victoriam sibi promittant, & non minus pro Imperatoris partibus quàm militari gloriâ pugnent. (ζ) Diveritas Præjudiciorû oritur partim à *subjecto*, p. *ab objecto*, p. *ab adjunctis*, seu accidentibus propriis. Ratione *subjecti* sunt vel *docta* vel *indocta*: *Indocta* sunt quæ oriuntur ex carentia cognitionis in rescitu necessaria, (η) Quibus velut plebiscitis plebs consentit. Ita legimus *Americanos* adveniente Legato *Ferdinando Cortesio* ex ignorantia, equitem, equum homini mixtum credidisse (θ) & talia exempla passim obvia sunt. Vereor, ne quis me censura iniqua notet, quando doctis tribuo præjudicia. Video exasperatas frontes sed cohibete iras, aut in *Vocetium* tela vestra stringite, qui id assertis verbis concedere non dubitavit. (ι) Dantur certè singularum scientiarum problema, quæ vocare posses certo sensu *insolubilia*, quorum in examine præjudicijs multa tribuimus, quæ communiter se produunt quando ex consensu argumentamur. *Verus consensus est*, qui ex *Libertate* judiciorum profiscitur, re explorata in iisdem consentientium. *Aliàs in rebus intellectualibus ex solo consensu, pessimum augurium capitur.* (κ) Sed de his fusiùs agere non vacat. Præjudicia sunt vel *theoretica* vel *practica*: priora occurrunt in cogitationibus & speculationibus, ita *Kircherum* indulgisse nimium cogitationibus suis autumo, quando *de aquis & stagnis planetarum* mira narrat (λ) haud aliter ac si horum corporum magnitudinem pollice suo dimensus esset. Posteriora, *practica scil.* in vita exercentur & communione cum hominibus. Inde proverbium: *Semel malus semper præsumitur malus*, & longe magis lædit famam hominis practicum quàm theoreticum præjudiciû. Huc spectat *Præjudiciû vitæ & morum*, quod tamen ab una actione non est colligendum. Et tale olim *Æschini* objiciebat *Demosithenes*, *Hadrianus Floro* (μ) Præjudicia sunt vel *politica* vel *civilia*, quat: in aula vel: in civitatibus obtinent: Prioris generis committebant *Purpurati Darii*, solitâ vanitate spem Regis inflantes, *Alexandri* contemnentes phalangem (ν) Eodem morbo laborabat *Pyrrhus* de *Alexandro M*, *Antiochus* de potentia *Romanorum*, *Tigranes* de exercitu *Corbulonis* judicans. Præjudiciû civile erat *Ciceronis* de *Pompejo* plebis *Romana* de *Tito Manlio*, patrûm de *Gracis* (ξ) His annu-

annumero *Præjudicium Nataliis soli*. Notum est quasdam regiones male passim audire. *Cretensium mendacia, Numidarum perfidia, Græcorum levitas, Ionica luxuria, Campanorum superbia* ita proverbium abiire. (o) Et sibi passim unaquæq; natio *domestica* blanditur *encomiis* (π) usû hæc comperta habemus (ρ) quid magis obstitit conatibus *Christoph. Colonna* quam *Præjudicium Patriæ* (σ) dum *Magnates* dicerent non concredendam fortissimorum *Hominum salutem, vano Liguri & decoctori*. Quin ipsi præfracti *Judæi* *Servatorem sanctissim. medio digito notantes* dicebant: *Nazareus est: Nec ex alia ratione sordes peregrini & nugamenta Gallica majori pretio distrahuntur, quam aurum domesticum.*

(ε) *Heraclitus Philosophos ut vocat Intellectualistas perstringit dicens: Quærun*t veritatem in *Microcosmis* suis non in mundo & rerum natnrâ (ζ) *Quid est æmulatio*, nisi *præjudicium bonum de Virium sufficientia*, ad pares cum *æmulo conatus, quis autem emulatiorem honestam malam appellat.* (η) *Similia refert Camerarius Hor: subcis. Cent. 1. C. 44. p. 293. (θ) plura leg. in Merians Historia Orbis Antipodum (ι) in Diss. selectis p. 3. diff: de ignorantia docta p. m. 676. ubi Diss. inter ignorantiam Theol. Jurid. Med. & Phil. (κ) Verulamius in Novo Organon. 77. p. 77. (λ) In itinere ecstático dial. 4. (μ) Demosthenes huic objicienti scripta sua lucernam olere, regerebat: Multum inter est quicquid ego & tu ad lucernam facimus. (ν) Commentatur prolixè in b. l. Raderus Jesuit. in Comment. ad Q. Curt. lib. 1. (ξ) Verba Ciceronis erant in Pompejum obvoluto fasciis crure incedentem: Nil refert in qua corporis parte gestetur diadema. Adde de Manlio Florum de Gracbis Vell: Patere, (o) plura cumulat Neubusus in præfar. ad theatrum ingenii hum. (π) Erasmi. in encom: Morias p. 222. (ρ) inde ap. Maronem Camilla illudit hosti Vane Ligur! lib. 12. Æneid. (σ) totam histor: refert. Paulus Jovius Episcop. Nucern. in Elogiis Virorum illustr.*

S. 4. *Ratione Objecti Præjudicia sunt vel sensuali vel intellectu-*

B

13a

lia. Sensualia dicimus quæ ortum debent sensibus exterioribus. Cum enim *sensus* nihil aliud sint, quam *variorum motuum impressorum perceptiones*, qui Ideam menti imprimunt, necessarium est, ut ex receptione imperfecta, talis oriatur idea, quæ perfecto iudicio præjudicat. Non enim *possumus de rebus falsè judicare nisi ex defectu cognitionis, quam de illis habere debebamus.* (τ) Erroris ejus causa est quod sensibus exterioribus circa intellectualia nimium fidamus. Ita *Veteres de origine fontium* judicabant aquam ascendere, contrarium probant *Recentiores Physici* (υ) *Præjudicia intellectualia* sunt quæ ab intellectus nostri caligine oriuntur, hæc tantò felicius succrescunt, quanto majori studio, velut in patrio solo, ab imaginationibus nostris foventur. Hinc experimur nos omnes *conceptus nostros pro selectis venditare, eodem jure quo ex officina Veteramentarii selecta colligerentur præsegmina.* Sæpius labantem *Thefin frigida distinctione* videas fulciri, ut audientes ferme frigidâ opus habeant. Vel si aliquid recti scire contingit *Animum sepulchrum non thesauriarum scientiæ, facimus affectibus Reip. literaria Monopolium.* (φ) Non nemo descripsit *potentiam cognoscentem, per animam sentientem in corpore organico*, sed ille quidem præjudicio occupatus est, neq; enim in homine, alia est potentia *sentiens*, alia *cognoscens*, sed *sentiendo cognoscimus, cognoscendo sentimus.* Nec *iudicium anticipatum* præjudiciū appellare audeo, nam illud est, quod causæ cognitionem antecedit, Præjudicium verò semper tale manet etiam post cognitionem causæ. *Intellectualia* dividuntur in præjudicia *verborum & rerum*; Verbis debemus priora. Fateor notionibus opus est ad conceptuum manifestationem, verum laboramus multitudine, atq; quadam, ut ita loqvar, *intemperantia literaria.* Hinc *Scholasticorum Libri* immensa *terminorum hydrope* laborant, ii namq; ut *Doctores illuminati* viderentur, *distinctiones Vulcanicis nodis subtiliores excogitavère, suisq; acuminibus omnia fecant, ceu Tenedia bipennis: Præjudicium Verborum Geographicis* vetustioribus nocuit, qui *Zonam torridam inhabitabilem* credebant, nam torridum notat excessum caloris, in respectu tamen ad regiones alias; brevibus: quando verba non conveniunt rebus, *Verborum*, quando res non conveniunt verbis, *rerum præjudicium committitur.* Ita sensus brutis negat *Le Grand:* (χ) ex
ver-

verborum præjudiciis, quia cognitionem illis competere negat, haudquaquam distinguens inter cognitionem cum judicio & *cursu* *judicium*. Præjudicium rerum committit *de La Forge* (ψ) quando determinationem motuum in homine, per leges automatarias demonstraturus, nil deprehendit in homine præter materiam & motum, de cuius ad glandulam pinealem appulsu prolixè differit, cum tamen præter materiam & motum, principium determinativum in agente libero, accuratius debuisset attendere. (ω) Ratione adjunctorum Præjudicia sunt vel *Authoritatis* vel *Opinionis*. *Authoritatis* Præjudicium in *estimo certa persona fundatur, de cuius excellentia non dubitamus*. Illa fovent omnes quotquot *Philosophi sectarii* sunt s. *Scholastici* s. *Aristotelisi* aut *Cartesiani* quamvis autem forsitan tales ratione primæ institutionis essent, sapientius tamen agerent si *Philosophi electivi ad instar Jani alicujus bifrontis in scientia campo ingrederentur*. (aa) *Opinionum* præjudicia tot sunt, quot hominum capita. Deniq; quædam sunt *instantanea* vel brevissimi temporis, ita cum Pontifex aliquando vidisset juvenem elegantissime contum, *Literarum rudem*, primum æstimavit illum, sed statim ignorantia compertâ adjecit: *en pulchra bestia!* breve sane præjudicium- *Perpetua* sunt quæ ex tacita quasi conventionem animis hominū in hærent, vix eradicanda neq; enim hic *experientia*, quod sæpe fieri solet, *stultorum Magistraesi*. *Innominatos contractus mundi* vocat *Schuppianus*, non infaceto elogio, dum Attico sale mores hominum perfricat. Tot supersunt Præjudicia ut recensere non sustineam, vereor sanè ne recensuisse præjudicia præjudicii loco imputetur. Satis dictum est, modo ab enumeratis nobis caveamus. Quædam *Præjudicia* planè *adversæ* sunt, nec refutari merentur sed explodi. (cc)

(τ) Ita recte *Chifflet*, in tract. cit. p. 1. p. 196. *Sed ibidem misere impingit dum mentē vocat αὐτῆς spirituale* (v) *de Saint Romain in phys. liber p. m. 270.* (φ) *Thom. Browne in Relig. Medici p. 2. sect. 2. p. m. 185* (x) in tract. singul. de cognit. & sens; carent. in brutis p. 1. (ψ) in Comment. ad tractatum *Cartesii de homine* (ω) confer. *fusus exercit; pecul. J. G. de Vr. de homine automatico*. (aa) *Consule Sturmii differt; de Philosophiæ electiva*. (bb) addo verba: *Mundus regitur*

in quatuor contractibus innominatis; Do, ut des, Do, ut
facias, facio ut facias, facio ut des (cc) tale commissum
prehendo in tract. famoso Anonymi cui titul. Peccatum κατ'
ἐξοχήν ubi non solum veritatis sed & verecundie limites
transgreditur.

§. 5. Scire est rem per causam cognoscere, frustra ergo essemus sol-
liciti de præjudiciis vitandis, nisi eorum causam perspectam habe-
remus. Causam equidem præjudicia non efficientem sed deficientem
agnoscunt, quia annumerantur debilitatibus intellectus quarum
quasi fons & scaturigo ignorantia est. Definitor quod sit insipienti-
a quoad causas rerum & modum operandi. (dd) generaliter dicitur
defectus cognitionis (ee) & hic terminus de ignorantia tam negativa,
quam positiva accipitur. Synonymum ignorantia est ἀγνοσία, ipsa
verò ἀγνοία dicitur. Nos illam appellamus carentiam cognitionis
scitiu necessaria, specialiter habito respectu ad ignorantiam privativā
(ff) Nota alias est divisio ignorantia in illam quæ negationis pur-
æ & parva dispositionis audit, vel quæ talis est, κατ' ἀπόφασιν, aut
κατὰ ἀναίτησιν, indeq; vel excusabilis vel inexcusabilis redditur.
Accidit semper vel ex defectu cognitionis, vel ex vitio intellectus
nostri, ratione cujus in Theoreticam & Practicam, simplicem vel af-
fectatam dividitur (gg) Omnia hæc ad scopum nostrum faciunt,
ignoramus enim plurima de quibus præjudicium fovemus, &
quid scientia nostra est nisi in plurimis docta ignorantia, quam vul-
gi opinionibus comparatam, perfectionem & scientiam voca-
mus. Cras dedocebit profectius, judicium quod heri didicisti, & sapien-
tiores cogitationes semper sese ipsas refutant. Multis tamen Parasan-
gis distat ignorantia docta à stoliditate Monachorum superioris se-
culi, qui se fratres ignorantia ex zelo pietatis scil. nominabant. (hh)
servum & insulsum pecus! digni homines qui Antyciras de porta-
ti helleborum bibant, a. ap. Cimmerios exules vivant, ubi pariter
cum luce nec libros vident. Ignorantia opponitur soli scientia,
pestis Philosophorum & hostis acerrimus Huic præjudicia multa
debemus, describitur a. quod sit inanis persuasio de perfectione scien-
tia quæ in nobis est. Tale hominum genus Atlantis humeros calca-
re sibi videtur, sed nihilominus sunt humi reptantia pecora (ii)
De

Definitio hie crabrones irriterem Succedit foecunda satis praerudiciorum mater *Auctoritas*, estimium de perfectione alicujus *absolutissima*, cujus vestigia sequi *destinavimus*. Basin habet in *praerudicij* *prima* *informationis* quæ velut idola intellectus noster veneratur. Hujus contagii origo à *Græcis* dimanavit, quorum *Philosophi* sedes fixas quas *Academias* vocabant, habuerunt. Erat & aliud *Philosophorum* genus vagum atque circumforaneum, quaestiones in foro resolvens lucelli gratiâ, sed hi tanta auctoritate non fulgebant. Illi verò quos ante nominavimus in disp. phil. argumentorum ponderi, *barba philosophica auctoritatē* opponebant, sensimq; discipulis opinionem de perfectione sua instillabant, atq; hinc orta est *Philosophia sectaria*, auctoritatum fulcris innixa (kk) Hinc factum est ut discipuli *quicquid informatori intactum fuerat, extra cognitionis terminos positum crederent*. Absit à me hæc insolentia, ut Auctoritates & Cælo digna nomina illustrium Virorum vili pendam, interim *illud dico, homines qui Philosophiam suam in unius hominis Auctoritatem resolvunt, immane praerudicium committere*. Plusquam verum est hoc effatum: *in Academiis discimus credere* (ll) sed addamus & illud, *edocti rectius, discimus ratione uti*. In Philosophicis *jurare in verba Magistri*, minus consultum esse duco. Obstare multum profectibus nostris *Præjudicia Auctoritatum* comperit habeo. Hic *Aristoteli* *Ottomannicum* concedit imperium, ille *Cartesii* *Philosophemata* osculatur, iste *Scholasticæ* *tricus* plus justo indulget. Quis unquam *Philosophorum* ad eò *insolentia animi* fuit, ut *velleret me opinionibus suis jurato obligari*? Iniuriam facimus optimis Philosophis nostris *praerudicij*, atq; hoc modo nostri profectus impediuntur. (mñ) Olim *Aristotelis auctoritati* plus justo indulsimus (nn) nec laudandum, quod *Cartesius* à sequaribus ultra communem sortem evehctus sit, neutri horum virorum errores omnes imputo, qui iis assignantur, sed eorundem *interpretibus*. *Omnes homines naturaliter scire desiderant* juxta *Philosophum*, sed non omnium scientia propterea æqualiter perfecta est. Dantur igitur & *Præjudicia ex ingenii precipitantia* orta. Sæpius quippe occurrit tale *praerudicium* non attendentibus, sed cum levis tantum sit *animi inclinatio vel fluctuatio*, facile quoq; exuitur. *Præjudicia* quædam debemus *terminis*, quod non negandum est, namq; communis hominum consensus ejusmodi *terminos*

nos introduxit, qui claram nostram perceptionem sapientius impediunt. *Extensionis* vocabulum tam stricte sumunt *Cartesiani*, ut *formalem* rationem corporis naturalis in extensione ponant, quæ tamen in *materialitate* consistit, uti me docuit *Max. Rev. atq; Magnif. Dn. D. Schomerus Præceptor devenerandus* (oo) Porro præjudicia quædam sunt *prima* quædam ex *primis* orta, priora emanativa dicere possem, quia oriuntur ab errore intellectus domestico, & quasi per manus traduntur, quorum oblivisci non possumus, quæque ægre patimur velut partem animæ nobis evelli. Exemplo est *Paulus in iudicio Atheniensium* resurrectionem prædicans, ubi inveterata Atheniensium prævalebat opinio, atq; aures occlusæ erant domestico Præjudicio, *quicquid existit resolvit in sua principia, ut a ut non possit virtute causa superioris iterum coalescere* (pp) Esem prolixior sed pagina non concedunt, unicum adjicio, *veritatem temporis filiam esse, non Auctoritatis.* De cetero quicquid dixi mihi dictum puto: *confiteor, monitis sum minor ipse meis.* (qq).

- (dd) à *Micralio lex phil. p. m. 591.* (ee) *Becman: Moral. c. 4. p. 91.*
(ff) *de morborum generibus quæ ignorantiam inducunt privativam, ut lethargia, Corybantismo, &c. vid. Zachias in quest. medic. legal.* (gg) *non inducor ut cum Voet. disp. select. p. 3. p. m. 640.* causam ignorantia superioris ordinantem appellem Deum. (hh) *contra hos Ludov. Vives in Dial. Espencæum, Gomarum & alios longo ordine inducit Voet. vocabatur hicordo Eremitarum Hieronymi de S. Observan,* (ii) *plur. leg. ap. Erasmi in Chil.* (kk) *Consul. de hac re & Philos. Sectis Hornii Histor. Philos;* (ll) *B. de Verulam. de Augm. scient. lib. 6. p. m. 425.* (mm) *Modeste satis Cartesius de Aristot. tract. de Method. p. 58.* iudicio cum illorum temporum ingenia præstantissima fuerint, cogitationes illorum à nostris non multum diversas fuisse, sed nobis tantum perperam relatas. (nn) *Taxat id Job. Ger. de Vr. in præfat. addo: in Papatu per idololatricam ἀποθέωσιν patronum Aristotelem adsciverunt Philosophi, Caput ejus radiis distinguentes vid. L. Felleri præf. in Studios. devot.* (oo) *in discurs. ad Colleg. Anti-Calv. quæst. 7. object. pro 4.*
Anti-

Antithes. c. 3. (pp) Act. 17. 32. οἱ μὲν ἐχλεύαζον (qq) notat Verul. pusillanimitatis esse Autoribus infinita tribuere, Auctori Auctorum & omnis auctoritatis tempori verò jus suum denegare.

§. 6. Vidimus hactenus statum Ingenii præjudiciis ligati ejusq; debilitates, restat ut de *damnis atq; remediis* præjudiciorum pauca annectamus. *Damnorum* satis luculenta vestigia sunt, quid enim agit qui præjudicio fascinator, propria vineta cædit, *sibi gravus Resp. literaria inutilis alieni erroris mancipium.* Quam nullus Tyrannorum, eripere potuit sentiendi libertatem, præjudicium eripit. Quis in hoc epidemio morbo universale parabit remedium? non *Machaon*, nec longævus *Japis*, aliquid proderunt, vel si prodesent, sibi nocerent. Quis fomenta languentibus adhibebit animis? quis torpentes excitabit? quis dictamnium ab Idâ carpēt. Tum credo cessabunt Præjudicia cum deportabimur in Atlanticam Insulam, ubi nulla somnia videri perhibet antiquitas, vel cū *Maronis porta cornea* occlusa erit. *Qua falsa ad Cælum mittunt insomniæ Manes.* Utilissimū fore vitare immodicum *studium duorum extremorum novitatis atq; antiquitatis* Non ferendum est, ut nova obstent antiquitati, sed nec antiquitati concedendum ut nova quævis inventa, velut Vere sacro nata, in exilium ejiciat. Quis crederit ibi esse veritatis columnas *Herculis*, ubi antiquitas substitit? Nunquam patuisset *Magellano America* auro virisq; potens, si credidisset ibi subsistendum ubi *Colonus* vela contraxerat. *Præstantissima ingenia officio se functos putant, cum Antiquorum rationes recolunt, propriam a. mentis vim nunquam ex acunt vel experiuntur (rr)* non aliter ac si *Pieridum* latices adeò exhausti forent, ut arente vena, nulla nobis superesset scaturigo. Præjudicia cavebimus, si fugiamus *diffidentiam & confidentiam*. Diffidentiam respectu aliorum, quibus ne utiquam fidimus, quod judicio polleant, aut suspectos illos habemus, hinc raro eruditus cum erudito veram colit amicitiam, alter alterum fœnum in cornu gerere arbitratur. *Confidentiam* vitare debemus respectu nostri, ne nostra æstimatione proprii ingenii vires metiamur, *quantum enim coram Prudentes, tantus es.* Præjudicii obstat *conveniens Methodus*. Verum est, bonam mentem inter omnes homines æqualissime distributam esse, interim nostrū est attendere viam per quam in cogniti-

gnitionem rerum deducimur, an expedita sit vel opinionibus oc-
clusa, an recta vel per ambages ducat, quò tendimus. Quisq; bonos
Duces sequatur, sed ex parte sibi ipsi hodegus sit. *Methodus* præ om-
nibus eligenda est in Philosophicis, quæ libertatem speculandi
neutiquam impedit, nam qui *Magisterialium conclusionum vinculis*
constringunt intellectum, frustra in hoc servili statu alios ingenij partus,
quam vernas expectabunt. Ad vitanda Præjudicia confert suspensio
judici præpoperi, & absq; debita attentione festinantis ad judican-
dum. Licebit tam diu de Consequentia rationicii dubitare, usq;
dum accurata notitia convincaris, te nullis præjudiciis occupa-
tum fuisse, Præjudicia aliàs facile hominem movent ad assensum;
Multi laudem habent & ea carent, multi habent & illam non meren-
tur. (ss) Quatuor illa *Savonerola desiderata vere desiderata* sunt.
(tt) Demum ad omne præjudicium eliminandum conducit debita
Meditatio finis studiorum nostrorum. Quid omni labore nostro
quærimus? Non quæritur *lectulus* in quo æstuans ingenium requi-
escat, non *Xystus* in quo mens deambulet vaga, non *Turris*, ex qua
ambitio tua prospectet, non *propugnaculum* ad ferendas lites, non
officina ad quæstum, quid ergo? *DEI gloria, proximi commodum, tua*
salus. Ita ergo indulge studiis. atq; Judiciio tuo utere, sed cogita:

Omnia in vanitatis circulo ferri ni in DEUM habeas centrum.

Qui ita sapit ut tribuat

SIBI nihil.

PROXIMO. aliquid.

DEO. omnia.

Sapit. Quantum. Opus. est.

M. ☉. Δ.

(rr) *Hanc consuetudinem notat Jacob. Robault. in tract. Phys.*
à Thom: Bonetto latin. verso in præf. operis addens: Opinio illa
nos antiquis esse inferiores, socordia aut diffidentia specimen
habet. (ss) *verba Clar: Watsonii in Disp. cui titulus Endoxo-*
Paradoxa habet. An. 53. (tt) *dixisse illum ferunt: Quattuor*
ista; timor, munus, dilectio, Rumor, sæpe solent homi-
num justos pervertere sensus.



AD DN. RESPONDENTEM.



Estinata nocent, nocet & sapien-
tia præcox,
Discere qui nolit, nec didicisse
potest.

Judicat ignotis de rebus & errat, inanis
Audaci sibi qui dente sophista placet.
Non placet ille Tibi: qui sic præjudicat æquo
Et vero, næ præjudicat ipse sibi!
Quæq; patet studiis maturis porta sciendi,
A subitâ ingeniis clauditur arte bonis.
Tu nunc rite subacta doce; sic, Optime, mul-
In præjudiciis est tibi judicium. (tum

gratulab. scri.

J. C. SCHOMERUS, D.

Præ-eximio DN. STRALEBORNIO,
In Collegio Theol Disputatorio aliisque
Auditori meo sic fatis industrio,
Jam ex Philosophicis publicè Responsuro
FELICITER!



Ocurnâ * *versare* manu, *versare* diurnâ
Te, STRALEBORNE, * *libros*, pagina juncta docet.
Perge: decus sic Te *versantem* grande manebit,
Atque Tuus *radians Fons* fatis uber erit.

* STRALEBORNIUS.

scrib.

Anagr.

VERSATN LIBROS?

כחפוי ובמכאובי
מלבבי עוונתא

A. D. HABICHHORST, S. Th. D.

Ejusdemq; Prof. Ord. & Consist. Duc. Meckl Assesl. design.

Noster amor, Phœbiq; decus, spes magna Tuorum;
Quid valeant humeri nunc documenta dabis.
Indolis ostendens magna vestigia nobis
Dum Respondentis munus obire cupis.
Felix pugnator! sic sic juvat ire per alta;
Livor iners vitium spernitur atq; timor.
Perge velut pergis, brevis est via, larga videbis
Præmia, tunc titulo Te meliore canam.

Præstantiss. atq; eximie docto Dn. Respondenti Phil. Cult.
fulgidiss. Amico Jucundiss. sincerissimo affectu gratul.

PRÆSES.

Wem/ GOTT den Anfang gönt; was redlichs zu studiren
Dem/ setzt ein jeder Freund den guten Wunsch dabey
GOTT wolle führo hin das ganze Werck vollführen
Damit der erste Blick nicht ohne Folge sey.
Mein Freund Gott läst Ihm auch gewünschten Anfang machen
Wohl an / ich habe schon den Wunsch hieher gesetzt
Der Höchste segne Ihm in allen seinen Sachen
So wird der erste Ruhm am Ende nicht verlest.
Er gebe Raht und That Gesund und muntre Glieder
Dass beydes Geist und Leib bey ihrer Müß bestehn
Er stürze alle Noht und Hindernis darnider.
Und geb an derer Statt / viel tausend wohlergehn.

Hiermit gratulirte seinen wehrten Freunde zum disputiren


JOHANN SIEGFRIED NĒSĒNUS,

Zittå Lusatu, J.S.

Udiciū laudare Tuū Prædulcis Amice,
Egregium hoc specimē fatq; superq; potest.
Pergas judicii per volvere significata,
Sic crescent laudes, judiciūq; Tuū.

CAROLUS CZIRLINSKI, Gedan.

☞(o)☞



the scale towards document

sunt in decisionibus Medii it; Carpz: juris pr.
 Avi mei Jcti consiliorum voluminibus M. S. S.
 rnius desinit l. 3, Moraliu C. 4. p. m. 621. Cor-
 juris scripti judici relictam, in casibus ubi
 (u) Mibi monstrasse satis est: vid. Carol; Dre-
 f. Lugd. Adversaria, in quo tractatu de una ma-
 it prejudicia Medicorum Harvei, Everhardi, Fer-
 ni, Whartoni, Bartholini &c. (w) confer: Voet,
 s. relig. Diss. selectarum p. 2. p. m. 539. Leideke-
 n Mysterio pietatis Mysterio iniquitatis opposito,
 lurimis prejudiciis gravat, speciarim in exercit.
 pontif. (x) jucundissima lege in Schuppil Ora-
 nione (y) verba Clarissimi Lipsii in Satyr:
 n. Oper. p. 715. (z) Leg. plur. de ideis impres-
 sui tractatu de Hom: (a) Micral: Lex. Philos. p. m.
 nan. Moral. C. 4. (y) ita describit Kenelm. Dig-
 Anima tract: 2. c. 2. n. 9. p. m. 435: (d) confer. diss.
 TENT. Seligmanni de Hef. & Dub. A. 1684. bab.
 tias Prajudiciorum accedimus, excutiendae sunt
 eorum oculis, qui Epimenidis somnum dudum
 roh! tot offerunt sese prajudiciorum turmae,
 ne hominem solitarium infestis unguis obtine-
 nines Dodoneo are loquaciores philautia sua du-
 ertunt sese mihi tot barbari Philosophi, lapsus
 cere volebam, ut ferme cepto desistam. Sed
 vana contemneres. (e) Uti affectus & animi
 um & malum indifferentia sunt in sua natura,
 icia. Opinio enim qua intellectus occupa-
 potest, ad bonum & malum. Ob hanc cau-
 malum bonum, bonum malum saepius pro-
 m tamen ratione finis Prajudiciu bonum vel ma-
 it. ad finem talem dirigitur v. gr. Cum Alexan-
 teratae virtutis, Darius suos Terrarum Domi-
 Caesar ad Mundam idem agit, omnes hi volunt
 mili-